



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 172. Pax Polonos inter & Cruciferos Porussiae

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

si interim ille fidelibus pacatis nihil noceret. Sæcul. XV.
A.C. 1466.

Indulgentia nostra contumaciter abusus est. Non quietem agens, non iis etiam parcens, quos propter institutum est iudicium. Per has moras sic eos nequiter habuit, sic dure afflixit, ut graves ad nos perferrentur querelæ. Pertulimus tamen patienter omnia, ac licet decepti, in eadem lenitate duravimus, ne aliquando in mali Regis iudicio, aut præcipites aut immisericordes existimari possemus. Ceterum progressu temporis hæc excommunicationis sententia in Regem lata tanti apud Proceres, & Regni status momenti fuit, ut Casimiro Poloniæ Rege Bohemiæ coronam recusante, Hungariæ Rex indicto bello Podiebracium armis infectatus fuerit.

§. CLXXII.

*Pax Polonos inter et Cruciferos
Porussicæ.*

Magis prospero successu legationem obivit idem Rudolphus ad Principes Germaniæ eo fine missus, ut concordiam Polonos inter & Porussicæ equites reduceret. Quippe post crudele bellum inter eos per quatuordecim annos gestum tandem die decima nona Octobris hujus anni pax utrinque confecta est. Rudolphus, cum ante omnes ad Poloniæ Regem hac de re scripsisset, misso ad

P 3

eum

Sæcul. XV
A.C. 1466.

eum Dlugosso Regis Secretario significavit, pacem se non abnuere, dummodo ipse Legatus non imitaretur Hieronymum Cretensem Archiepiscopum, qui Regi suam operam pollicitus, cum ad Cruciferos tanquam pacis Angelus missus esset, ipse econtra ab ipsis calicis aurei dono corruptus belli flammam ultro resuscitavit. Rudolphus plenam fidem, atque integritatem spondit, & cum inter Fridericum Imperatorem, & Matthiam Hungariæ Regem invicem dissidentes pacem feliciter confecisset, in Poloniam venit, ubi summa fide, studioque concordiam diutinis votis exoptatam conclusit. Haud infimam huic negotio operam contulit Ludovicus Herlingshausen, tunc temporis magnus Cruciferrum Magister, Vir moderatione animi longe spectatissimus.

§. CLXXIII.

Præcipuæ Pacis Leges.

Hujus pacis præcipui erant articuli
I. Tota Pomerania cum ceteris nonnullis Provinciis ad Polonos redibit, pro quibus recuperandis ipsi centum ferme & quinquaginta annorum bella gesserunt.
II. Ecclesia Culmensis Gesnensi Metropoli restituetur, quæ per annos circiter ducentos Rigenfi in Livonia subjecta erat.
III. Ma-